Deo opt. max. uni & trino, Virgini Deiparæ, & sancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono.

QVÆSTIO MEDICA.

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 15. Januarii.

M. ANTONIO DE CAEN, Doctore Medico, Præside.

Suntne tam variæ Morborum, quàm ægrorum facies?

HOMO, homini quid intersit, non omnes tenent. Alterum ab altero ex facie internoscere cuivis vel bardo promptum est: assequi etiam, quod ad communem omnium naturam pertinet, potest vel mediocriter eruditus: Uniuscujusque verò propriam introspicere, pervidere, omníque ex parte exploratam habere, ne quidem factus ad unguem Medicus. Ferè nimirum Vulpeculæ similes, lambimus vitreum vas, pultem haud attingimus. Expediat aliquis, ex quo, sedentibus in concilio cordatis viris, tanta sit de re unâ opinionum disjunctio; Unde tam varii palati convivæ poscant tàm diversa; Quamobrem aliqui carnes, pisces alii, nonnulli vinum tantoperè oderint; Contrà hujus dulcedine capti plurimi haud aliud vitæ præmium intelligant; Cur ille ad casei, hic ad leporis, is ad rosæ conspectum cohorrescat & contrahatur. Quâ de causâ iste est adeò projectus in Venerem, in quam hic oris floriduli, florentisque ætatis, ac corporis, omnino friget? Quâ vi, dum sonum reddit pulsata Cithara, illi uni lotium invito exprimit?

TOT varietatum, effectuúmque diffidentium causa eadem quæ sanitatis, & morborum; partium videlicet consimilium temperies, organicarum conformatio, omniúmque positus, & consociatio singularis. At enim, velut è paucis numero litteris variè inter se compositis, ingens nascitur vocabulorum multitudo; itâ è paucioribus partibus tàm discrepantes, quàm infinitæ, hominum facies effinguntur: quin è paucissimis elementorum qualitatibus tot exurgunt temperationum, quot hominum formæ, illarum effectrices rerum, quas admirari aliquantò faciliùs sit, quàm enodare. Nec aliunde profectò est, quòd nunc mas, nunc fœmina prodit in vitæ scenam: quòd stabilis constánsque est unius valetudo, alterius prorsus vitrea æquè, splendens ac fragilis; quòd in aliquibus nihil in victu delinquentibus, angustioris vitæ flosculus decurrit quàm celerrimè; aliis diutiùs in eâ manentibus; propter ipsam quoque rem, venientes ac recedentes anni multa secum ferunt commoda & incommoda.

PAR ratio invaletudinum tribus summis temperiei, conformationis, continuationisve partium violatæ generibus contentarum; à quibus, nisi qui ad curandum accedit, descendat per subjectos gradus ad infima, sua ipsi ars inanis futura est, quamvis ad manum sint omnia, quibus morbus κατ' εἶδος debet oppugnari, præsidia. Plane ut unus ille sanos homines perspectos habet, cui, quid commune sit omnibus, quid proprium singulis, penitùs notum est: itâ is tantùm eximiè medentis personam sustinet, qui communem ac totam morbi cujúsque notionem, insuperque singularia illa, quæ in nullum alium convenire possunt, gerit in animo consignata; cui, non modò inchoata, sed præstans ac difficilis similitudinum etiam peritis imponentium, atque dissimilitudinum intelligentia res compertas efficit. Vis illud in apertam lucem vocatum ante oculos tibi statuere?

LATE fusum febris nomen (ut inde specimen capiatur) sit licet ad eam quæ quartâ quâque luce torret, contractum; adhuc vana est imago morbi, cujus mille discrimina: quapropter cave de illius moribus, exitu, & curatione quidquam ante proferas, quam liqueat, sit domesticus, necne; quâ parte anni; quo domestico more degentem corripuerit; tenuis, an firmæ valetudinis hominem, puerum, juvenem, annosúmve senem; ocio diffluentem, an curis, aut labore confectum exerceat; quo sub cælo natus, eductúsque sit; quale solum calcet; quem ore ducat aërem; quibus se pascat cibis. Neque hîc consistendum: ipsa quippe, quæ febrem circunstant mala, ejus quoque produnt ingenium; scire ut permagni referat, paucarum sit, an multarum horarum, sub eáne integra sint, an corrupta, aut effœta viscera; num vomitus, tussisque ægrum quatiant; fusior sit, subsistátne alvus; adsint sitis, sudor, vigiliæ; an contra veternus occupet. Quæ quidem omnia, ut in hominum genus universum cadere queant, nullo non variantur in corpore.

QUAM dispar itáque sanorum hominum constitutio, temperies, natura, & indoles; tam dispares ægrotorum, morborúmque formæ ac species: simili modo, quàm multiplex ac diversa latentium intus humorum conditio, tàm dissimilis inde exortarum ægrotationum ratio. Hinc tantus labor, tótque exorbendæ difficultates ritè medendi scientiam professo: ut, nisi hæc singula venetur, & intento animo cernat, agitet, atque ad invicem comparet, suum cuique malo remedium aptaturus, Medici titulum temerè sibi arroget: in ultimas verò terras exportandi sint eorum omnium rudes isti homunciones, veriùs fungi, qui naturæ quoque totius ignaros homines, sæpiùs magnas inter opes à rectâ mente inopes perniciosè ludificant, unico adversùs quaslibet ægritudines nunquam non usi pharmaco.

Ergo tam variæ morborum, quàm ægrorum facies.

Domini Doctores disputaturi.



M. Claudius Berger.
M. Claudius Biendisant.
M. Dominicus de Farcy.

M. Henricus Mahieu.
M. Claudius Guerin.
M. Paulus Mattot.

M. Alanus Lamy.
M. Claudius Quartier, Censor Academiæ.
M. Antonius Bourgaud.

Proponebat Parisiis FRANCISCUS MAILLARD, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1682.